

128

Ego Conradus Dei gratia dux Cracovia  
 et Lancicia, considerans momentaneum et  
 variabilem huius seculi statum, et omnia ac-  
 ta mortalium per processum temporis, in  
 irritum revocari: libertatem quam antecesso-  
 res mei, videlicet Mescio et Boleslaus duces  
 Cracovia Domui sancti sepulchri de Mie-  
 chovia, et omnibus villis sibi pertinentibus  
 contulerant, sicut in privilegio ipsorum con-  
 tinetur, in remedium peccatorum meorum  
 confirmavi. Videlicet, absolvens non tan-  
 tum villas illo tempore a dicta domo san-  
 cti sepulchri possessas, ab universo debito,  
ad mesam ducis pertinente, nec non ab  
 edificatione castri, ab expeditione remota, a  
 Brevod ducendo, a Podvodonibus, ab in-  
 violatione libertatis fori villa nominata, et  
 a causis ad meum tribunal pertinentibus;  
 verum etiam et illas, quae postmodum per  
 emptionem, sive collationem, in possessione  
 dictae domus sunt redactae. Ne vero a  
 posteris meis super praesata libertate  
 aliqua ambiguitas oriatur, sigilli mei ap-  
 positione roboravi, sub testimonio filii mei  
 Semoviti, et cancellarii mei Volimiri. Acta  
 ab incarnatione Domini, anno millesi-  
 mo ducentesimo quadragesimo tertio.

Monastica.

Lisowski.

